


Dissertatio medica inauguralis de chorea, imprimis minori

<https://hdl.handle.net/1874/311537>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CHOREA, INPRIMIS MINORI.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
CHOREA, INPRIMIS MINORI,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

LUDOVICI GERARDI VISSCHER,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINE SUBMITTIT

LUDOVICUS THEODORUS POMPE,
Sylvaducensis.

A. D. XIX M. FEBRUARII, A. MDCCCLVII, HORA I.

IN AUDITORIO MAJORI.



TRAJECTI AD RHENUM
APUD P. W. VAN DE WEIJER.

MDCCCLVII.

PRAEFATIO.

Variis causis coactus, ut quam celerrime studia mea ad finem perducam, non tantam, quam optassem in dissertatione conscribenda collocare potui diligentiam. Nec tamen oleum et operam omnino perdidisse mihi videor pertractando argumentum medico gravissimum.

Inter morbos nimirum corporis humani primum tenent locum affectiones systematis nervosi. Actio physiologica et imperium, quod tenet in omnes corporis functiones tanti momenti sunt, ut vel minima affectio morbosa in totum organismum redundet.

Quae cum ita sint, unum ex hujus systematis morbis, et quidem, suadente Promotore, Choream elegi, de qua specimen inaugurale scriberem. Quod tamen argumentum quominus integrum tractarem, temporis me impedivit angustia. Itaque praecipue acturus sum de Choreâ minori. Haud supervacaneum autem mihi visum est, nonnulla de Choreâ St. Viti in genere praemittere ob

nexum, qui inter has morborum species exstat, magis minusve arctum.

Haec de specimine meo. — Academiae autem valedicturo, suave graveque mihi adhuc restat officium, ut Praeceptoribus, quos habui, inprimisque Medicinae Professoribus, quorum institutione non solum, verum etiam amicis consiliis gavisus sum, gratias agam quam maximas.

Tibi vero, clarissime LONCQ, Promotor aestumatissime, pro humanitate et auxilio, mihi semper et ubique praestitis, gratus mihi semper erit animus.

Vobis etiam, Amici, quibuscum per vitam academicam consuetudinem junxi, tristi quidem animo valedico; amicitia autem nostra perenne sit vinculum, quod vel absentes jungat.

Vestram inprimis amicitiam rogo perpetuam, Sodales Senatus Veteranorum, quibuscum per duos fere annos rebus studiosorum praefui, quique hoc nomine arctius mecum conjuncti estis. Magna mihi fiducia est, fore, ut nobis semper et ubique in animo sit aureum nostrum symbolum:

Amicorum consensus virtutem alit gaudiumque.



DE CHOREA SANCTI VITI IN GENERE.

Hic morbus, qui omni fere tempore tantas egit partes in medicinae historia, a variis scriptoribus variis notatus est nominibus.

Apud Galenum ¹⁾ jam invenimus nomina Σκελοτύρβη et Ἐνθουσιασμός; apud Paracelsum ²⁾ Chorea lasciva sive meretricum. Ne omnia hic referam, attamen adhuc commemoranda sunt praecipua: Saltus (Alzaharavius) ³⁾, Chorea St. Modesti ⁴⁾ (Zwinger) ⁵⁾, Saltus Viti (Plater) ⁶⁾, Chorea St. Joannis (Bzovius) ⁷⁾,

1) Isag. libr. etc. Basil. 1561. fol. p. 94.

2) Opera omnia Vol. I Genev. 1658. fol. Lib. VII. Tr. II. c. III p. 578.

3) Lib. theor. nec non pract. Cap. 25 fol. 32.

4) Modestus, secundum Spangenbergum, fuit magister St. Viti, Cf. Diss. de Chor. Goett. 1764. p. 1.

5) Theatr. Prax. Med. Basil. 1710. 4. par. II.

6) Observ. Lib. I. p. 87.

7) Annal. Eccles. Tom. XIV. Col. Agripp. 1625. fol. p. 1501.

Choreomania (Ploucquet) ¹⁾, Tarantismus (Sauvages) ²⁾, Ballismus (Swediaur) ³⁾.

Hippocratem, morbum si cognoverit, saltem non lucide descripsisse, satis superque constat. Frank ⁴⁾ et Schäffer ⁵⁾ verba quidem Hippocratis vel auctoris Hippocratici: »At vero si medulla spinalis, aut ex casu, aut aliqua quapiam externa causa, aut sua sponte laborarit, et crurum impotentiam facit, ut ne tactum quidem percipiat aeger, et ventris et vesicae, adeo ut ne primis quidem diebus stercus et urina nisi coacta reddatur. Quod si morbus inveteraverit, et stercus et urina aegro inscio prodit, tandemque non longo intervallo perit.» ⁶⁾ ad Choream St. Viti referunt, at falso, quippe quae symptomata paralytica admodum clare prae se ferant.

Itidem valde dubitatur, num Scelotyrbe Galeni eadem sit, quae Chorea St. Viti. Sauvages ⁷⁾ in descriptione, quam Galenus dedit: »Scelotyrbe, — quasi cruris turbam et perturbationem dicas — species est resolutionis, qua erectus homo ambulare non potest, et latus alias in rectum, quandoque sinistrum in rectum, nonnunquam dextrum in sinistrum circumfert; interdum quoque pedem non attollit, sed attrahit, velut ii, qui

1) Diss. i. m. e. trigam. obs. med. pract. Tub. 1787. p. 27-30.

2) Nosol. Method. T. III. p. I p. 351-52.

3) Nov. med. rat. syst. Vol I. Hal. 1812. 8.

4) Prax. Med. Univ. Praecep. P. II. vol. I. Sect. II. p. 241.

5) Diss. de Chorea St. Viti. Vien. 1815. p. q.

6) Opp. omn. Edit. Foes. Francof. fol. Praed. L. II. S. II. p. 82.

7) l. c. p. 127.

magnos clivos ascendunt" 1); imaginem quidem veram Choreae inspicit, attamen licet Choreae minor sit, symptomata nimis vaga sunt magisque ad Choreae varietates referri possunt, quandoquidem affectio extremitatum inferiorum symptoma rarius est.

Choreae magnae descriptionem invenimus apud Erastum 2), ubi sermo est de puella quadam, spasms in brachio et crure dextris affecta, cum lipothymia et delirio conjunctis.

Choreae minoris Benivenius 3) jam mentionem facit; legimus enim apud eum: »Puerum vidimus et curavimus, qui cum nullo modo quiescere posset, sed ita semper hinc inde temerario quodam impetu et inordinato motu ferretur, ut etiam stare volens iterum titubaret et caderet."

Primus, qui morbum cum saltu conjunctum descripsit, est Vincentius Beluvazensis. A^o. 1012 sedecim homines tresque foeminae in cimeterio saltantes, a sacerdote maledicti, quasi Deo poenam dantes, continuo saltare debebant. 4)

Epidemicus vero morbus primus occurrit saeculo XIV. Mores rudiores et fanaticismus religiosus medii aevi ansam prae-buerunt morbo, cujus indoles in spasms convulsionibusque, vi psychica commotis, sita erat. A paganis traditi, saltus et cantus quoque occurrunt in cultu

1) l. c. p. 94.

2) Comit. Mont. Vinc. nov. med. cens. quinq. libr. etc. 1581.

4. P. 11.-195.

3) De abdit. morb. causis.

4) Lib. 26. Cap. 10.

festisque medii aevi, in honorem cujusdam sancti institutis, quem in temporibus tum prosperis, tum angustis invocabant. Haec autem consuetudo, fanatica temporis indole, mox in affectionem degeneravit morbosam, itaque orta est A^o. 1374 Choreia St. Joannis. Die festo Joannis Baptistae jam antea cantu saltuque celebrato, ¹⁾ quid mirum quod, peste adhuc interdum regnante populoque infelici Caroli IV imperio oppresso, sanctus moestissimo illo tempore quoque invocaretur? Quod autem sanctum officium ita degeneravit, ut mox turbae maximae fanaticorum, saltantes cantantesque varias peragrarent urbes. Quo autem loco prima occurrat Choreia, non constat. Petrus de Herentals ²⁾ refert saltatores ex *Allemannia* in *Henegauniam* et *Galliam* transiisse. Mense Julii Ani 1374 primi occurrunt *Trajecti ad Rhenum*, *Leodii*, *Atualucae*, aliisque in Belgii locis. ³⁾ Symptomata hujus Choreae Wicke ita lucide exponit, ut verba ejus hic referam: »Je zwei an zwei einander an den Händen haltend, mit Kränzen auf dem Haupte, den Bauch mit einem Tuche umgürtet, an dem sich ein Stock zum Zusammenschnüren desselben befand, tanzten sie in Häusern und auf den Strassen, besonders aber in und bei den Kirchen und an allen geweihten Stätten, ohne Scham vor den Umstehenden und ohne zu hören und zu sehen, singend und die Namen von Geistern nennend, bis sie endlich erschöpft und unter

1) Cf. Hecker. Tanzwuth. Berl. 1832. p. 11.

2) Vita Gregorii. XI. Paris 1693. 4. p. 483. Hecker l. c. p. 83.

3) Pistorii Belgic. Chron. 1654. fol. p. 319. Bzovii Annal. eccles. Tom. XIV. p. 1501. Hecker l. c. p. 84.

Beklemmung der Brust, schreiend, dass sie sterben müssten, wenn man ihnen nicht den Bauch zusammenschnürte, zur Erde niederfielen." etc. ¹⁾

In nostra patria diem festum Joannis eodem furore celebratum esse, e scriptoribus medii aevi enotuit. Apud Levinum Lemnium ²⁾ enim legimus homines, nocte turbulenta et inquieta peracta, dixisse: »*wi hebben St. Jans nacht gehad*"; porro non ab omnibus morbis, sed praecipue »ab epilepsia se tutos fore confidisse, quibus accessit ea persuasio, ut si placide hujus Divi statuum adire possint nec incondite vociferentur aut rabiosis clamoribus illi insultent: toto anno ab hoc morbo futuros liberos; sin Divi caput, quod osculandum offerant, dentibus lacerare tentent, ac maledictis incessere singulis mensibus, quod fere ex lunari decursu evenit, hoc morbo misere divexandos; quamquam maxime imposturae huic rei subesse solent." etc.

Chorea St. Joannis quo tempore epidemice regnare desierit, non satis constat; eam quidem non magno temporis intervallo regnasse, admodum liquet ex alio morbo epidemico, paulo saltem post descripto, nomine Choreae St. Viti. Temporibus moestissimis saeculi XIV sanctus Vitus invocabatur, qui, quum ad mortem ducebatur, Deum rogavisse dicitur, ut omnes, qui diem suum festum celebrarent, morbo non afficerentur. Quo rogato, vox e coelis audita est: »Vite, exauditus es." ³⁾

1) Monograph. des gr. Veitstanzes. Leipzig. 1844. P. 6.

2) De occult. nat. mirac. I. III. c. 18. p. 317.

3) Agricola 750. Teutsche Sprüchw. N^o. 417. Hecker I. c. P. 10.

Zwinger ¹⁾, Martin ²⁾, Spangenberg ³⁾, Nicolai ⁴⁾, contendunt Vitum ipsum hominibus morbum impertivisse, atque Bosquillon ⁵⁾ et Herzog ⁶⁾ Sanctum eam ob causam invocatum dicunt, quia ipse morbo laboraverat. Quae quidem sententiae licet ab aliis scriptoribus non confirmantur, attamen saltus epidemicus, nomine *Chorea St. Viti*, A°. 1418 *Argentorati* regnavit, ut apud Königshovium legimus: »Viele hundert fingen zu Strasburg an, zu tanzen und zu springen, Frau und Mann, am offnen Markt, Gassen und Strassen, Tag und Nacht ihrer nicht viel assen, bis ihn das Wüthen wieder gelag. St. Veitstanz ward genannt die Plage." etc. ⁷⁾.

Homines, cujusque sexus aetatisque, maximis congregati turbis, saltu cantuque, tubicinibusque comitati urbes agrosque transiebant seque ad templum St. Joannis vel St. Viti conferebant.

Plerumque vero quasi maniacy se gerebant, vestes dilacerabant, caput contra muros trusitabant, in aquam saliebant, neque de saltu desistebant, nisi, lassitudine correpti maxima, humi procumberent. ⁸⁾.

1) l. c. p. 237.

2) Diss. i. m. exh. cas. de chor. s. Vit. Argent. 1730. P. 8.

3) l. c. p. 1.

4) Pathol. I. p. 289.

5) In Cullen's Elements p. 363.

6) De path. morb. quam voc. Chor. st. V. Diss. Berol. 1823. p. 19.

7) Elsass. und Strassb. Chron. 1698. 4. p. 1085. Hecker. l. c. p. 7.

8) Cf. Schenck. Observ. p. 217 sqq.

Siquidem ad haec symptomata respicimus, non potuit quin sensim sensimque indoles morbi latius patere coeperit, ita ut jam saeculo XVI et XVII morbus jam definiatur »mania sive insaniae species,”¹⁾ vel »insana et insatiabilis saltandi libido”²⁾. Genio epidemico magis magisque disparente, definitio morbi ad alias quoque morborum species, Choreae St. Viti quodammodo similes, accommodatur, ita ut, ne alios scriptores referam, Eckholdt in litteris Ao. 1623 ad Horstium datis, morbum descripserit, nomine Choreae St. Viti, cujus symptomata praecipua sunt *saltare* et *currere*, alii que motus insueti³⁾. Hic quidem casus ansam prae-buit submutationi Choreae, quae nostro tempore *magna* vocatur, pro Choreae St. Viti, et ex illo quidem tempore, multi alii casus morbi eodem nomine descripti sunt, donec Sydenham Ao. 1726 *convulsionis speciem* descripserit, quae, ut dicit, *Chorea St. Viti vulgo appellatur*, sequentibus verbis: »Convulsionis est species, quae ut plurimum pueros, puellasve, a decimo aetatis anno, ad pubertatem usque invadit; primo se prodit claudicatione quadam vel potius instabilitate alterutrius cruris, quod aeger post se trahit fatuorum more; postea in manu ejusdem lateris cernitur, quam hoc morbo affectus, vel pectori vel alicui alii parti adplicitam, nullo pacto potest continere in eodem situ vel horae momento, sed in alium situm, aliumque locum convulsione quadam

1) Geissner. *Histor. animal.* L. I. 1551. p. 197.

2) Profius *Diss. de Chor.* S. V. praes. Wedel. Jen. 1682.

4. p. 5.

3) Cf. Horst: *Op. med.* Tom. II. p. 120.

distorquebitur, quidquid aeger contranitur. Si vas aliquod potu repletum in manus porrigatur, antequam illud ad os possit adducere, mille gesticulationes, circulatorum instar exhibebit; cum enim poculum recta linea ori admove nequeat, deducta a spasmo manu, huc illuc aliquamdiu versat, donec tandem forte fortuna illud labris propius adponens, liquorem der repente in os inicit, atque avide haurit, tanquam misellus id tantum ageret, ut dedita opera spectantibus risum moveret" etc. 1).

Hac quidem definitione, omnia symptomata Choreae, nunc temporis vocatae minoris, quam lucidissime exponente, novum ortum est de Choreae nosologia iudicium. Varios scriptores consulentes, definitionem Choreae St. Viti apud Germanos diutius intactam reperimus servatam; scriptores contra Gallici et Anglici sub illa nihil aliud intelligunt, nisi Choream minorem sive Sydenhami, quod quidem intelligi potest ex minori eorum morbi generis cognitione. In Germania enim Choreae St. Viti per diu endemice regnarat; Germani igitur e fontibus ipsis haurire potuerunt; scriptores autem peregrini partim ex eorum scriptis, partim e Sydenhami operibus morbum cognoscere debuerunt. In Germania symptoma maximum, Choreae St. Viti proprium, adhuc erat *saltus*, et fere omnes casus relati Choreae, postquam epidemice regnare desierat, ad *magnam* quidem pertinent, cujus indoles quaerenda est in spasmis convulsionibusque tum clonicis, tum tonicis, cum stupore et exstasi quadam, atque ignorantia omnium, quae in paroxysmo occurrerunt, conjunctis.

1) Op. omn. L. B. 1741. P. 526. sqq.

Wichmannio autem maximam partem justa distinctio inter Choream magnam et Choream Sydenhami tribuenda videtur. Postquam meminit se alio loco jam de Raphaniae et Choreae distinctione locutum fuisse, pergit: »In England nennt man nämlich alles das Veits-tanz, wenn unerwachsene Personen mit dem Arme, gemeiniglich nur einer Seite, eine unwillkührliche, oft fortdauerende geschwinde Bewegung machen, und, weil gemeiniglich das Bein an eben der Seite mitleidet, auch keinen festen Tritt haben, dabei aber ihr Bewusstsein, und den Kopf frei behalten, und übrigens auch gesund sind. Auch jede andere partielle Convulsion von langer Dauer, z. E. mit beiden Armen und Beinen, ein beständiges Kopfschütteln, Verzuckungen der kleinen Gesichtsmuskeln, etc. geht bei den englischen Aerzten unter diesen Namen" etc. 1).

»Aber alles dieses ist das bei weitem nicht, was wir in Deutschland mit den Namen Veitstanz belegen" etc. 2).

Quamquam quidem lineamenta tantum Choreae magnae nobis tradiderit 3), effecit tamen, ut in posterum haec a plerisque scriptoribus, in describenda Choreae St. Viti, locum sibi proprium obtineret magisque minusve distincte definiretur.

Omnibus symptomatibus alterutrius morbi recte perpensis, diversa Choreae magnae et minoris indoles morbi nobis admodum perspicua apparet, ita ut, non cum Heckero 4) statuendum sit, morbum, hoc tem-

1) Ideen z. Diagnostick. Hannov. 1800. B. I. p. 143.

2) e. l. p. 145. sqq.

3) e. l. p. 145.

4) l. c. p. 19. 21

pore sub nomine Choreae St. Viti cognitum, ex morbo medii aevi epidemico evolutum esse. Choreae magna tantum in paroxysmis occurrit, dum minor morbus est continuus, cujus symptomata, durante somno, tantum cessant. Functiones psychicae in illa semper magis minusve turbatae sunt, in hac autem tantum morbi diuturnitate afficiuntur. Aegri semper mentis compotes sunt; in magna, paroxysmo finito, nihil meminerunt, quod evenierit. Convulsionum sedes in magna in omnibus, musculis praeditis, organis esse potest; in minori musculi voluntarii tantum affecti sunt. Spasmi porro in hac clonici sunt; in illa tum clonici, tum tonici generis. Ne plura quidem discrimina afferam, satis e supracommemoratis constare mihi videtur, utrumque morbum non gradu, sed etiam indole differre; quod praeterea probari potest ex observationibus, quibus statutum est, minorem, vehementia invalescentem, nunquam in magnam; neque hanc decrescentem in illam transiisse.

DE CHOREA MINORI.

CAPUT I.

SYMPTOMATA.

Magna diversitas, quam Chorea minor sive Sydenhami in symptomatibus prae se fert, perfectam ejus imaginem perdifficilem reddit; quapropter, ne plura addam descriptioni supracitatae ¹⁾ Sydenhami, melius mihi visum est varia symptomata in variis, in quibus occurrunt, organis sive corporis partibus separatim exponere.

Praecedunt vulgo quidam prodromi animum depressum, systema nervosum nimis excitatum, motus instabiles, inquietudinem, digestionem magis minusve turbam, notantes; quibus cessantibus vel decrescentibus, morbus sensim sensimque invadit. Non in omnibus Choreae casibus prodromi observantur; Wicke ²⁾ no-

1) Vide supra P. 7.

2) l. c. p. 248.

tavit 65 casus, quorum 18 sine, 47 cum prodromis incoeperunt. Symptomata non statim post causam, morbum excitantem, prodeunt; in plurimis fere casibus majus minusve intercedit temporis intervallum inter causae invasionem et morbi eruptionem. Hughes ¹⁾ ex 100 casibus, sequentem dedit tabulam, in qua docet fuisse:

Intervallum notatu non dignum in	8 casibus,
» non longius hebdomade in	13 »
» una quidem, non duab. long. in	2 »
» duab. hebdom. longius in	3 »
» non notatum in	74 »

Contracturis musculorum spasmisque levioribus praegressis, malae consuetudini vulgo attributis vel majori negligentia saepe non observatis, morbus, vel minima causa occasionali, in tota ejus vehementia erumpit, diversaque organa pro eorum indole magis minusve afficit, inprimis autem musculorum voluntati inservientium systema. Quomodo singula organa afficiantur, in sequentibus exponere conabimur.

Caput diverso celeritatis gradu sursum deorsum vel de uno in alterum latus movetur; oculi huc illuc voluntur; lingua retrahitur vel extenditur; os modo apertum, modo clausum dextrorsum vel sinistrorsum declinat. Musculorum contractiones adeo varii generis esse possunt, ut saepissime facies diverso modo mimice decomponatur. Linguae motus in genere turbati sunt, quo fit ut aeger non nisi balbutiens vel titubans loqui possit. Musculi pharyngis laryngisque interdum quoque spastice contra-

1) Guy's Hosp. Reports. 1846. Vol 4. p. 380.

huntur, ut actus deglutiendi impediatur voxque sibilans et rauca fiat.

In plerisque autem Choreae casibus sedes convulsionum in extremitatibus est, quae omnibus fere motibus, qui excogitari queant, irregularibus, affici possunt, qui, si cum faciei contractionibus juncti sunt, formam Choreae *chaos* sive *gesticulatoriae* ¹⁾ formant. Brachia flectuntur vel extenduntur, in pronatione vel supinatione versantur, manus tremunt neque aliquod arripere possunt, nisi magna cum difficultate et ambagibus. ²⁾ Crura prorsus et sursum moventur, abducuntur et adducuntur vel axem circumvertuntur. Gressus aegri est instabilis et claudicans; alii non nisi baculo sustenti currere, alii nullo modo se movere possunt. Sandras ³⁾, observatione ductus Choream interdum de una in alteram corporis partem transgredi, eam *progressivam* nuncupavit. Meminit hominis, in quo affectionis initium erat in m. abductore pollicis, unde in digitos, manus, brachia, crura inque totum corpus denique, undecim annis praeterlapsis, transgressa erat. Casum Choreae autem *retrogressivae*, si ita nominari licet, commemorat Romberg ⁴⁾. Convulsiones incipiebant in ore atque extremitatibus inferioribus superioribusque; duobus autem diebus post, angulum tantum oris brachiumque et crus dextri lateris afficiebant.

Prouti convulsiones invadant, aegro sedente aut cur-

1) Cf. Bernt Monogr. Chor. S. V. Deutsch. v. Sohler. Wien. 1826. P. 66.

2) Vide supra descrip. Sydenh. P. 8.

3) Sur les malad. chron. et. nerv. Union médic. 1852. N^o. 82.

4) Lehrb. d. Nervenkrankh. I. p. 441.

rente, distinguitur Chorea *sedentaria* et *stataria* ¹⁾, itidem, prouti alterutrum vel utrumque latus affectum sit, Chorea dividitur in *universalem*, *partialem* et *semilateralem*. ²⁾.

In 58 ex 149 casibus, a Wickio ³⁾ observatis, affectio semilateralis, in 91 universalis erat. Latus sinistrum saepius quam dextrum affectum esse, ut apud Ruz ⁴⁾ legimus, non ab omnibus scriptoribus admittitur, verumenimvero non sine magno errore statui videtur, frequentiam in utroque latere eandem esse. Wicke ⁵⁾ saltem refert, in 58 supracommemoratis casibus 23 aegros sinistro, 26 dextro latere affectos, in 8 autem latus affectum non distincte notatum fuisse. In Clinico Rombergii erant ex 12 aegris, unus tantum sinistro, tres dextro, octo utroque latere affecti. Convulsiones in genere prius in brachiis quam in cruribus incipiunt ⁶⁾, ita ut Sydenham ⁷⁾ et Bouteille ⁸⁾ errare videntur, statuentes, morbum primum se prodere claudicatione quadam, vel potius instabilitate alterutrius cruris, postea in manu. Babington ⁹⁾, Romberg ¹⁰⁾, Wicke ¹¹⁾ referunt, extremitates superiores interdum

1) Bernt. l. c. p. 60.

2) Bernt. l. c. p. 71. 72.

3) l. c. p. 278.

4) Arch. génér. Fébr. 1834.

5) l. c. p. 278.

6) Babington Guy's Hosp. Rep. Octob. 1841. P. 414.

7) l. c.

8) Traité de la Chorée. Paris. 1818. p. 153.

9) Cf. l. c.

10) l. c. p. 437.

11) l. c. p. 277.

solas, inferiores autem nunquam affici; Guérard ¹⁾ autem tres communicavit casus, in quibus tres puellae, circiter 17 et 19 annos natae, chloroticae, dysmenorrhoea laborantes, eandem domum habitantes iisdemque in vitae circumstantiis versantes, vespere afficiebantur convulsionibus in cruribus tantum, quae, quum starent, vehementia augescebant, iis autem decumbentibus, statim diminuiebantur. Notandum adhuc est, in singulis puellis punctum admodum dolens adfuisse in malleolo sinistro, omnesque reliquos musculos in perfecta quiete remansisse.

Truncus vel erigitur, vel flectitur et variis modis axem circumvertitur, ut in specie Choreae *circumrotatoriae* ²⁾ vidimus. Musculi thoracis abdominisque raro afficiuntur. Sandras ³⁾ retulit casum morbi, in quo convulsiones in diaphragmate tantum occurrebant; Romberg ⁴⁾ ter spasmus musculorum respirationi interventum, semel palpitaciones cordis observavit. Quamquam motus in genere irregulares sunt, trunci tamen capitisque convulsiones interdum typum quemdam prae se ferunt rhythmicum, cujus quidem causa adhuc incognita est ⁵⁾. Intermissiones nonnunquam observantur, ita ut convulsiones certo temporis intervallo redeant et cessent, quod quidem ansam praebuit distinctioni Choreae *typicae* et *atypicae* ⁶⁾.

1) Gaz. des Hôpit. 1855. N°. 131.

2) Bernt l. c. 66.

3) Cf. l. c.

4) Klin. Ergebnisse S. 20. Klin. Wahrnehm. S. 64.

5) Paget. Edinb. medic. and surg. journ. 1847.

6) Cf. Bernt l. c. p. 76.

Cordis actio et respiratio plerumque non morbose mutatae sunt. Pulsus regularis vel irregularis; modo frequens, modo rarus; jam celer et durus, jam tardus et mollis esse potest. Quoad murmur, cordis contractionem comitans, de quo apud Babingtonium ¹⁾ legimus: »This impression (of nervous debility) is often, but not always, confirmed by the co-existence of a soft bruit, analogous to that, which occurs in chlorosis and hysteria, accompanying the first sound of heart”, id Romberg ²⁾ negat se unquam audivisse.

Respiratio diverso quoque modo laedi potest, quod autem raro occurrit; saepius contra functio organorum digestionis inservientium turbata observatur, quod praecipue probatur emaciatione progressiva, qua aeger, medela morbum non superante, afficitur ³⁾.

Romberg aegros, durante et cessante morbo, saepe rapide crescere commemorat ⁴⁾. Sanguinis crasin valde mutatam esse posse, concludi licet ex indagationibus, quas Smith et Beale ⁵⁾ instituerunt in urina puerorum, chorea laborantium, utpote quae docuerunt, magnam inesse quantitatem, urei, acid. urici, oxal. calc., salia de acid. urico, alia, quae omnia in urina aetatis puerilis, si unquam, rarius saltem, inveniuntur.

Aegri semper mentis compotes sunt, quod quidem eos eo magis vexat, quo rarius iis contingit, ut volun-

1) l. c. p. 414.

2) Lehrb. d. Nervenkrankh. I. p. 438.

3) Cf. Babington l. c. p. 415.

4) l. c. p. 438.

5) The Lancet. April 1837.

tatis vi convulsiones coercere possint. Animo irritabiliores, pavidī, impatientes, in iram proclives, tristes, melancholici sunt. Functiones psychicae interdum a norma recedunt, ut aeger cantet, rideat, vel alta voce clamet et nonnunquam, horribile auditu, ululet. In paroxysmo oculos huc illuc stupide et truculente volvit, inque perpetuo interdum versatur delirio et insania, quae, quamvis Choream sic dictam *insanientem* ¹⁾ constituat, non est, ut Strack ²⁾ putat, symptoma Choreae constans. Itidem vel cogitur, ut continue currat, donec lassitudine correptus, decumbat (*Chorea procursiva*) ³⁾ vel in eodem, quo erat, loco circumvertitur, vel denique in angulum aliquem se celat. Nuperrime Lossetti ⁴⁾ retulit, se puellam, quindecim annos natam, cujus menses nondum fluxerant, curavisse, convulsionibus, cum conscientiae absentia conjunctis, vehementissimis affectam. Aran ⁵⁾ nobis tradidit exemplum Choreae semilateralis, quae per biennium una cum anaesthesia brachium crusque sinistri lateris corripuerat.

Quoad vehementiam, convulsiones tam fortes esse possunt, ut aegri e lecto ejiciantur variisque corporis locis vulnerentur, ita ut vinciri debeant. Quam vehementes autem fuerint, nihil relinquunt lassitudinis. Diversa quidem momenta vim habent in vehementiam diuturnitatemque convulsionum; inprimis autem somnus.

1) Cf. Bernt l. c. p. 67.

2) Act. Societat. Elect. Mogunt. T. I.

3) Cf. Bernt l. c. p. 62.

4) Gazz. Lomb. 1856. N^o. 31.

5) Gaz. des Hôpit. 1856. N^o. 66.

Omnibus confirmatum est observationibus, spasmos, durante somno, desistere aut diminui. Si autem somnus inquietudine somniisque turbatur, redeunt; quod a Marshall Hallio ita explicatur: »It was only by observing that these movements subside during *quiet* sleep only, and return during the agitation of dreaming, that I perceived that it is not sleep, but the absence of emotion, to which this affect is to be ascribed; — dreams during sleep having the same effect as emotion in our waking hours," etc. ¹⁾.

Haec quidem sententia confirmatur vi, quam animi pathemata, diversi generis, in augendis spasmis habent, ut observamus in aegris, in pavorem, tristitiam proclivibus vel ira aut animadversione affectis. Puellam, 17 annos natam, Chorea dextri lateris laborantem, ex pavore tonitru excitato, in Nosocomio Academico observavi, in qua convulsiones singulis augebantur vicibus, si animi tristitia ob nimiam parentum in ea visenda negligentiam, afficiebatur.

Convulsiones voluntati parum subditae sunt, ut aeger, vel intensis viribus, eas diminuere nequeat; attamen muscoli, spasmis affecti, voluntati obtemperant; raro enim occurrit, ut aeger motum, quem vellet, licet magna cum difficultate, non perficeret.

Vis, quam habent in convulsionibus affectiones morbosae, Choream complicantes, non satis confirmata est ab omnibus scriptoribus. Romberg ²⁾ iis quidem omnem

1) Cf. *Diseas. of Nerv. Syst.* et Babington l. c. p. 412.

2) l. c. p. 439.

negat vim in Choream. Secundum Guersentum¹⁾ morbus acutus, in Choreia laborantem incidens, mox indolem induit asthenicam.

Ultimo loco adhuc commemoranda est symptomatum diversitas Choreae apud gravidas. Gravidae inprimis cephalalgia, vertigine, lipothymia, loquela difficili, balbutiente, memoriae debilitate laborant. Spasmi vehementiores sunt musculosque praecipue faciei et linguae corripunt; interdum quoque cum convulsionibus epilepticis conjunguntur. Omnia symptomata, cessante graviditate, si non subito, saltem gradatim evanescunt. Scanzoni²⁾ refert casum mirabilem Choreae, quae tertio graviditatis mense incoeperat, cujus quidem symptomata, admodum vehementia, placenta remota, statim tollebantur. Choreia non habet vim nocivam neque in foetus, neque in puerperium.

Decursus valde differt. Morbo incrementum vehementia fiunt symptomata eorumque exacerbationes brevi tempore redeunt diutiusque persistunt; motus autem voluntati subditos perficere gradatim difficilius fit. In morbi decremento contraria observantur; vehementia et frequentia symptomatum decrescentibus, voluntas de die in diem majorem in motus recuperat vim, donec vel minimum morbi vestigium evanuerit.

Exitus lethalis rarus est, nisi subsit quaedam affectio cerebri inflammatoria sive typhosa; in morbum autem chronicum degenerare potest Choreia, aut, cessante causa, omnia symptomata, sine ulla medela, saepe regrediuntur.

1) Cf. Ruz I. c. p. 51.

2) Die Krankh. der weibl. Brustorg- und Nerv. p. 432. sqq.

Inter varia momenta, quae in decursum vim habent et efficacitatem, adhuc in censum veniunt aetas, sexus, et origo protopathica aut deuteropathica.

In sexu virili Chorea, secundum Moynierum ¹⁾, majoris est diuturnitatis, et magis in recidivam proclivis, cujus quidem neque aetas provecta exempta est. Choreae primariae, cujus causa in stadio quodam evolutionis, v. c. dentitionis, graviditatis, sive animi affectione quadam sita est, prognosis in genere faustior est, quam si subsit aliqua affectio organica. Caeterum inter affectionem primariam et secundariam non magna interest differentia quoad decursum, qui quidem pendeat ab indole morbi primarii sive Choream complicantis vel ex aegri viribus magis minusve exhaustis.

Morbi, qui, Chorea incipiente, forte fortuna jam aderat, symptomata saepe tolluntur; anaemia et tuberculosi contra, secundum Wunderlichum ²⁾ in evolutione pergunt. Sequelae, quas Chorea relinquit, non sunt graviores; saepius nihil remanet morbosum aut interdum paralysis localis, memoriae mentisque debilitas; Choreae contra chronicae saepe marasmus est soboles, qui aegri vires sensim sensimque exhaurit.

Quod ad morbi diuturnitatem pertinet, diversa temporis intervalla a variis scriptoribus notantur, quae omnia inter hebdomadem unam et plures menses sita sunt.

Reevius ³⁾ e 84 casibus durationem brevissimam

1) Sur le trait. de la Chorée. Arch. gén. 1854.

2) Cf. Spec. Ther. Vert. v. Jansen. p. II. p. 1539.

3) Edinb. med. and surg. journ. V. 8. 1812. p. 322—336.

14 dierum, longissimam 8 mensium, mediam 49 dierum invenit.

Hughes ¹⁾ tabulam exponit, e qua liquet, morbum curatum esse :

in 24 casibus intra 14 dies — 3 hebdom.

» 40 » » 3 hebd — 6 »

» 23 » » 6 » — 8 »

» 10 » » 2 » — 3 »

Rufz ²⁾ terminum medium intra 31 dies; Sée ³⁾ ex 117 morbi casibus menses duas et dimidiam vel 69 dies; Wicke ⁴⁾ e 125 dies 89 posuit.

Chorea valde proclivis est in recidivam, neque una tantum vice, at vero pluribus quidem vicibus in eodem, qui ea laboraverat, homine. Rilliet et Barthez ⁵⁾ eam observarunt recidivam in 19 aegris, Sée semel, bis et ter in 37; Romberg sexies in eodem homine. Secundum Wickium ⁶⁾ recidiva in genere verno occurrit tempore. Commemorat ⁷⁾ se recidivam vidisse in 35 casibus, 13 in vere, 12 in hieme, semel in aestate. Recidiva in genere non fortiori quam Chorea primaria est gradu, atque saepe idem, quod haec affecit latus, etiam corripit ⁸⁾. Variarum causarum, quae ansam prae-buerunt ad affectionem primariam, ean-

1) l. c. p. 381.

2) Arch. gén. Février. 1834.

3) Mém. de l'Acad. roy. de Médic. T. XV. p. 373.

4) l. c. p. 433.

5) Malad. des enfants.

6) l. c.

7) l. c. p. 440.

8) l. c. p. 441.

dem habent vim in recidivam, ita ut post diversa incitamenta morbosa observata sit.

Siquidem exitus lethalis rarus sit, interdum sine ulla complicatione occurrere potest, ac quidem, ut Leudet⁹⁾ observavit inter 3—42 diem. Functiones psychicae, morte superveniente, vulgo non laeduntur; delirium interdum observatum est. Mortis proximae signa Rilliet et Barthez inveniunt in convulsionum celeritate augescente, tendinum subsultu, mentis obnubilatione, pupillis contractis, trismo maxillae inferioris, respiratione valde turbata, aliis.

1) Prag. Vierteljahrschr. 1854. II. p. 95.

CAPUT II.

CAUSAE.

Causas Choreae in omnibus casibus indicare difficillimum est, quod inter alia, e relatis Hughii ¹⁾ licuit, qui e 100 morbi speciminibus, causam 42 omnino statuere non potuit. Attamen plura dantur momenta, quorum vis in morbum excitandum negari nequit; quorumque praecipua indagare nobis in animo est.

Inter causas disponentes in censum veniunt:

Sexus. Foemineus sexus multo proclivior quam virilis in Choream est. E 100 aegris, quos Hughes ²⁾ observavit, 73 erant puellae et 27 pueri.

Rufz ³⁾ e 189, quos curavit, aegris, 138 foeminei, 51 tantum virilis notavit.

1) l. c. p. 373.

2) l. c. p. 372.

3) Arch. gén. Fév. 1834.

Sée ¹⁾ enumeravit e 531 Chorea laborantibus 393 puellas.

Copland ²⁾ proportionem inter foeminas et viros statuit 3: 1. Heberden ³⁾ et Elliotson ⁴⁾ 4: 1, Wicke ⁵⁾ 2: 1.

Magna ea proclivitas facile explicatur e majori sexus foeminei irritabilitate, diversisque molestiis, quibus praesertim in stadio pubertatis, obnoxiae sunt puellae. Perquam lucide Hughes ⁶⁾ id exposuit sequentibus verbis: »The cause of this greatly-increased tendency in girls over boys to be affected with the complaint probably arises, in some measure, from their greater susceptibility to external impressions, and especially to one principal exciting cause of the complaint, namely, fright. But it may be considered to be more particularly dependent upon the excitability of the system at large, and the irregular local determinations which, in them, so frequently occur about the period of puberty. Among the causes of this excitability may be particularly mentioned the non-appearance, the suspension and the irregularity of the catamenia.»

Aetas. Quamvis nulla sit exempta aetas, puerilis tamen maxime ad Choreae evolutionem disponit. Maximum affectionis primariae incidit inter 11 et 12 annum.

1) Mém. de l'Acad. roy. de Méd. T. XV. 1850.

2) Lond. Med. Repos. monthly Journ. and Rev. T. 15. 1821. Jan. p. 23—26.

3) Comment. de morb. hist. et cur. Fr. a M. 1804. p. 82—84.

4) The Lond. Med. Gaz. 1831.

5) l. c. p. 304.

6) l. c. p. 372.

Exempla aetatis junioris referunt Constant ¹⁾, qui infantem, dum nascitur, Chorea affectum vidit; Michaud et Bourdon ²⁾ in infantibus inter quatuor et quinque menses natis. Proportio inter singulos annos e sequentibus tabulis apparebit.

Rufz de 189 aegris conclusit

inter	1—4 annum,	inveniri	2 puellas,	3 pueros;
»	4—6	»	3	» 2
»	6—10	»	45	» 16
»	10—15	»	88	» 30

Sée in 191 casibus invenit:

infra	6	annos	11 casus.
inter	6—11 annum	94	»
»	11—15	57	»
»	15—21	17	»
»	21—60	12	»

Hughes refert in 100 aegris occurrisse:
 infra 10 annum 33, e quibus 11 pueri, 22 puellae.
 inter 10—15 » 45, » 11 » 34 »
 supra 15 » 22, » 5 » 17 »

Romberg ³⁾ meminit foeminae, 76 annos natae, quae inde a sexto aetatis anno Chorea laboraverat; caeteroquin in omnibus vitae temporibus casus Choreae a variis scriptoribus relati sunt.

Hereditas. Num Chorea crebro sit morbus hereditarius, non est confirmatum. Sée in Choreae historiae

1) Bullet. de Thérap. 1833.

2) Cf. Bouchut. Tr. prat. des mal. des Nouv. nés. 1855. p. 190.

3) l. c. p. 443.

octodecim tantum hereditatis exempla reperuit. Monod et Mayo ¹⁾ casum retulerunt Choreae congenitae, hic quidem Choreae cum dementia conjunctae.

Constitutio. Ut in alios morbos, itidem in Choream procliviores sunt infantes, organismum debilem tenerumque habentes et rachitide aut scrophulosi laborantes. Saepius quoque observatur in hominibus, temperamenti erethici, animique justo irritabilioris. Organismus autem, tam psychice quam physice debilitatus aut per morbum chronicum, aut per nimiam humorum jacturam, v. c. sanguinis fluxus, masturbationem, alia, maxime periclitatur.

Quaerentibus, quatenus sint momenta nociva, quae in organismo, ad Choream disposito, ad ejus evolutionem ansam praebeant, primo loco sub oculos venit vis, quam hanc in rem habent populi genus, vitae regimen, terrae aërisque conditio.

Observatum est Judaeos crebro Choreae laborare ²⁾, quod a nonnullis attribuitur nimiae ad gesticulationem, imo in statu normali, proclivitati; ab aliis, inprimis Meissnero ³⁾, nimio systematis genitalis erethismo, inprimis in stadio pubertatis.

Vitae regimen molle, effeminatum, rara sub Iove corporis exercitatio, una cum prava corporis nutritione pervalde Choreae evolutionem promovent.

Chorea in regionibus septentrionalibus pluries occurrit

1) Outlines of human pathol. p. 170.

2) Cf. Frank. 2. p. 256. Sohler. l. c. p. 114.

3) Cf. v. Siebold's Journ. f. Gbh. Frz. und Kkr. Bd. 9. 1830. p. 620.

quam in meridionalibus; in tropicis autem regionibus non invenitur.

Quoad anni tempus, plurimi casus reperiuntur hiemali atque verno tempore; minimi vero in aestate.

Choream epidemice vel endemice regnare, a multis quidem contenditur. Observationes autem hanc rem confirmaturae nimis vagae sunt, ut aliquid certi inde concludi possit, maximamque partem ad Choream St. Viti s. Magnam referendae videntur.

Duae autem causae occasionales praecipuae, quae saepius impulsum Choreae erumpendae praebent, sunt:

Animi pathemata. In iis praesertim terror, metus, tristitia, ira. De 48 casibus, quorum causae notari potuerunt, Hughes in 31 terrorem notavit Choreae incitamentum, ita ut dicat: »On the whole, then, it may be asserted, that though perhaps not so frequent a cause as is ordinarily supposed, fright is still a frequent, and probably the most frequent exciting cause of Chorea.” ¹⁾

Stadia evolutionis, ut dentitio, pubertas, graviditas. Inter gravidas imprimis periclitantur primiparae, morbusque plerumque in priori graviditatis parte erumpit, atque, cessante graviditate, evanescit. Pleraque autem foeminae, quamvis puerili aetate Chorea jam laboraverint aut hystericae obnoxiae sint passioni, nexus causalis inter Choream et graviditatem negari nequit ²⁾.

In dentitionis pubertatisque stadio functiones, prae-

1) l. c. p. 375.

2) Cf. J. Frank l. c. II. p. 348. Ingleby, the Lancet N^o. 860. Lever (Guy's Hosp. Rep. II. Ser. Vol. 5. 1847.

sertim systematis nervosi et vascularis, magis excitatae ad Choream ansam praebent. In puellis autem, in pubertatis stadio, mensium fluxus magni momenti est ad Choreae evolutionem; non raro enim observatum est, hanc quidem puellas invadere, amenorrhoea sive dysmenorrhoea laborantes.

De causis proximis, Choream excitantibus, affectiones morbosas systematis cerebrospinalis notantibus, disseremus infra, ubi sermo erit de morbi natura.

Sympathice Chorea excitatur per affectiones cordis inflammatorias, rheumatismum, arthritidem et sordes primarum viarum.

Sée inter 128 Chorea laborantes invenit 61 arthritide aut doloribus articulationum affectos. De 133 casibus dedit tabulam sequentem:

Chorea, rheumatismo praegresso,	71
» » comitata,	15
» cum affect. rheum. in- et externis,	30 1)
» » » » internis,	17

De rheumatismo legimus apud Hughum ²⁾: »Next to frigt rheumatism may be regarded as among the most common causes of Chorea. The connection between the two diseases has been often noticed; and the frequent concurrence of spasmodic affections with pericarditis is of a rheumatic origin." etc. His quidem in casibus assumit maximam partem affectionem medullae spinalis sympathicam. Babington ³⁾ Cho-

1) De his erant 17 lethales.

2) lic. p. 375 sqq.

3) l. c. p. 418. sqq.

ream a rheumatismo cordis et pericardii ortam per plexus et ganglia, cor ipsum magnaue vasa sanguifera circumdantia, excitari putat.

Plura hic illic notata sunt exempla ad sententiam illam confirmandam, de qua conferantur Hughes ¹⁾, Pleischl ²⁾ et Trousseau ³⁾, apud quos leguntur casus Choreae cum rheumatismo, endocarditide et pericarditide complicatae.

Inter sordes primarum viarum inprimis notantur vermes, et quidem Ascarides lumbricoïdes, raro Taenia.

Morbis, quos Choreae saepius complicavit, adnumerentur exanthemata acuta, scarlatina ⁴⁾, variolae. In priori quidem recidiva Choreae observata est ⁵⁾. Porro exanthemata et ulcera chronica suppressa, sudor pedis et epistaxis repressa, peripneumonia, enteritis, tussis convulsiva, mentis alienatio, etc.

Trousseau (l. c.) casum Choreae retulit post venificium saturninum, in quo nulla signa paralysis, huic morbo propriae, praegressa erant; quod quidem eo magis notandum est, quia causa, quam vulgo sequitur paralysis et atrophia musculorum, hoc in casu producit convulsiones.

Nomine *hemichorée syphilitique* Costilhes ⁶⁾ descripsit, Choream in foemina, quae quum per sex fere menses exanthemate syphilitico laborasset, hoc quidem

1) l. c. p. 376. sqq.

2) Oesterr. Zeitsch. f. Prakt. Heilk. II. 26. 1856.

3) Gazett. des Hôpit. 1855. N^o. 2.

4) Cf. Prag. Vierteljahrsch. 1856. Bd. IV. p. 35.

5) J. Frank l. c. 2. p. 263.

6) Cf. Vidal de Cassis, Traité des Mal. vénérien. p. 508 sq.

medela antisiphilitica curato, Chorea lateris sinistri afficiebatur, cum dolore juncta in antibrachio atque parte cruris anteriore, quae quidem corporis partes in sua actione admodum debilitatae erant. Musculi faciei convolutionum participes erant linguaque dextrorsum declinabat. Latus dextrum nullo modo patiebatur.

CAPUT III.

NATURA.

Naturam morbi indagentibus nobis omnium fere scriptorum sententia consentanea sub oculos venit, Choream ad genus convulsionum sive hypercinesium pertinere, attamen nonnulli paralysis cujusdam speciem in ea invenire voluerunt, eamque paralyisin incompletam aut convulsiones cum paralyisi complicatas habuerunt. Ad quam sententiam confirmandam afferunt impotentiam motus voluntati subditos perficiendi majoremque minoremve debilitatem quarundam corporis partium. Sic apud Bouteillium ¹⁾ legimus: »la faiblesse et le relâchement de ces parties annoncent non leur convulsion, mais leur atonie, et caractérisent une affection plus paralytique que convulsive". Veritati autem magis consentaneum videtur, debilitatem non a paralyisi, sed ab intercepta

1) l. c. p. 181.

musculorum contractione pendere. In paralyysi tota vis nervea in musculis sublata est, in convulsionibus contra, cum praeter aegrotantis voluntatem muscoli morbose excitatae vi nerveae obtemperant, non de paralyysi sermo esse potest. At vero Choreae symptomatibus nihil, quod paralyisin indicet, prae se ferentibus, debilitas illa exhaustis viribus tribuenda neque morbi naturae prae aliis characteristicum signum est.

Causa proxima Choreae olim vulgo habebatur debilitas certusque gradus irritationis nervorum organicorum, sese magis minusve ad voluntati inservientes extendens; quae quidem irritatio systema nervosum irritabilius redderet ejusque vim diminueret musculosque, imprimis nervis affectis subditos, ad mobilitatem majorem motusque incitaret irregulares. Nuper autem indagationibus, a docto Marshall Hall institutis, novum de Choreae natura ortum est judicium. Prior ejus sententia, Choream solius systematis spinalis affectionem esse, in qua defectus harmoniae inter cerebrum medullamque spinalem appareat, non omnibus confirmata est symptomatibus. Systemati enim excito-motorio est proprium, ut etiam, durante somno, functiones perficiat, attamen Choreae symptomata tunc recedunt. Ex explicatione quidem hujus symptomatis data ¹⁾ concludi licet, Marshall Hallium Choream morbosam organi motui praesidentis affectionem habere, quae sedem habeat in medulla oblongata atque nullo modo a cerebro aut systemate sympathico pendeat. ²⁾

1) Vide supra. p. 18.

2) Cf. Babington, l. c. p. 412.

Romberg ¹⁾ eam definit: »Combinirte Bewegungen einzelner oder mehrerer Muskelgruppen, unabhängig von cerebralem Einflusse, durch die vom Willen intendirten Bewegungen an Heftigkeit zunehmend und deren Vollziehung mehr oder minder störend.“ — Quae quidem motuum conjunctio, secundum Hassum ²⁾ non tam urgeri debet, quia, licet muscoli singuli aut conjuncti contrahantur, flexio et extensio, adductio et abductio eadem, qua in aliis convulsionibus, irregularitate perficiuntur. Quo quidem respectu Wickii ³⁾ definitio morbi naturae magis consentanea videtur: »Die unwillkührliche Muskel-Bewegung ist eine chronische, anhaltende Krankheit, die sich durch. die willkührliche Thätigkeit der betreffenden Theile nie ganz aufhebende convulsivische Bewegungen mehrerer oder aller willkührlicher Muskeln, die sich noch dadurch auszeichnen, dass sie bald hier, bald dort sich zeigen, und nicht einen Wechselkampf der Antagonisten darstellen. und eine Mangelhaftigkeit der willkührlichen Verrichtungen der leidenden Theile — bei nicht wesentlicher Störung der Psyche — charakterisirt.“

Babington ⁴⁾ distinguit inter contractiones et convulsiones, quod e verbis, quibus Choream dicit: »to be a disease characterized by irregular uncontrollable contractions of the voluntary muscles, alternating with their

1) l. c. p. 436.

2) Cf. Virchow's Path. und Ther. B. IV. Abth. I. H. I. p. 155.

3) l. c. p. 241.

4) l. c. p. 413.

atony, and occurring without pain, etc." apparet. In his quidem exponit, musculorum motus in Choreia non eosdem esse, ac convulsiones et epilepsiam, quia stimulus, contractiones excitans, quaecunque ejus sit natura, non gradu vehementior est quam voluntas in statu normali, et e quo motus, a norma recedentes, sed non spasmis vehementiores sequuntur. Alterum argumentum ex imperio nervorum in musculos petit. In statu normali, in qua vis musculorum antagonistica semper adest, e diminuta actione ad conditionem morbosam concludi licet; nam, quamvis actio morbose aucta se praeclarius in spasmis ostendat, debilitata ea actio nihilominus morbosa nuncupanda est. »I venture then, sic pergit, to express my belief, that, while in true convulsions, the muscles, after having been thrown into a spasmodic state, do only return to the normal condition; in Choreia, on the contrary, a further diminution of nervous influence occurs; so that the muscles become, in all marked cases, entirely passive and inert in the intervals between their irregular and involuntary actions." etc.

Causa autem proxima laesae illius musculorum actionis in affectione systematis cerebro-spinalis morbosa quaerenda est. In quamquam autem hujus systematis parte sedes morbi sit, e pathologica anatome nondum enotuit. Diversis casibus Choreae, quos singuli observaverunt scriptores, ducti, diversam systematis nervosi partem, tanquam Choreae sedem notarunt, pro symptomatum singulis in casibus diversitate iisque, quae examen pathologico-anatomicum eos docuit. Ex iis enim, quae e sectionibus cadaveris didicimus, apparuit, varias systematis cerebro-spinalis partes in Choreia pathologice mu-

tatas esse posse; sic apud Longetum ¹⁾ legimus de inflammatione corporum quadrigeminorum; Bright ²⁾ retulit casum hyperaemiae cerebri cum osseis fragmentis in pia matre partis medullae spinalis inferioris; Froriep ³⁾ observavit laesionem partis inferioris anterioris medullae oblongatae, cujus causa erat tumor processus odontoidei epistrophei, in puero decem annos nato. Stiebel ⁴⁾ maximi putat momenti hyperaesthesiam tumescentis vertebrae colli septimae; eamque Choreae causam statuit, quod autem experientia non in omnibus casibus confirmavit. E tribus casibus, a Rombergio ⁵⁾ relatis, lethalibus, liquet, atrophiam cerebri cum emollitione tum cerebri, tum medullae spinalis adesse posse.

Si variae istae mutationes, quae in cadaveribus inveniunt revera causae fuerint Choreae sive propiores sive proximae, quod non tantum incertum, sed veridissimile est; e variis allatis exemplis liquet, affectiones morbosas systematis cerebrospinalis diverso modo ansam praebere posse ad Choreae evolutionem, ita quidem ut Babington ⁶⁾ causas, pro diversis affectis partibus, dividat in medullam, cerebrum, et nervum sympathicum afficientes. Ad priores quidem refert affectiones morbosas medullae spinalis structuram aut functionem laedentes diversas; ad alteras animi pathemata et morbos cerebri organicos; ad ultimas denique reliquos, qui

1) *Physiol. du syst. nerv.* Transl. a. Hein I. p. 392.

2) *Rep. of Med. Cases.* p. 489.

3) *Neue Notiz. a d. Geb. d. Natur u. Heilk.* No. 224. p. 57.

4) *Kl. Beitr. z. Heilwissensch, Fr. a M.* 1823. d. 56.

5) *l. c.* p. 444 sqq.

6) *l. c.* p. 418.

varia afficiunt organa, morbos per reflexionem nervi sympathici in medullam spinalem agentis, v. c. rheumatismum cordis per ganglia hanc corporis partem circumdantia, dysmenorrhoeam per plexum lumbalem, alia.

Hisce autem omnibus rite perpensis, notandum est, naturam Choreae hisce affectionibus minime esse explicatam, quippe quae exstare possit Choreia, sine ulla morbosa, quae indicari possit, systematis cerebro-spinalis deviatio, neque singulorum hujus systematis morborum soboles sit.



CAPUT IV.

DIAGNOSIS.

Quamvis syndrome symptomatum Choreae minoris raro ansam praebeat ad falsam morbi diagnosin; nonnulli tamen sunt morbi, quorum singula symptomata magis minusve Choream simulant, de quibusque dignoscendis hic sermo erit.

Differentiam inter Choream magnam jam sub finem prioris dissertationis partis expositam, hic praetermittam, tantumque mentionem faciam de aliis convulsionum speciebus.

Nomine *Choreae electricae* Dubinus ¹⁾ morbum descripsit, cui propriae erant conquassationes, ac si per fulmina productae essent, quae in initio nunnullos tantum musculos afficiebant, se autem mox per totum corpus extendebant. Typi erant intermittents, cum affectionibus

1) Omodei Ann. Jan. 1846.

cerebri interdum conjunctae, atque paralysis, nisi mors, ut vulgo, intervenisset, iis finem ponebat. E sectionibus autem cadaveris licuit morbi indolem pro maxima parte in affectione medullae spinalis ejusque meningum inflammatoria sitam esse; itidem prognosis infaustissima atque typus intermittens, huic morbo propria, sufficient, ne cum Chorea commutetur. ¹⁾

Diagnosin inter raphaniam et Choream optime fecit Wichmann ²⁾. Raphaniae causa longe alia, quam Choreae est; illa enim veneficii instar est et interdum epidemice regnat. Quoad symptomata, illi est propria formicatio a digitis manuque in totum corpus progrediens, cum anaesthesia magis minusve perfecta juncta. Convulsiones, non tantum vehementiores et dolorificae, verum etiam non raro epilepsia et tetano conjunctae sunt, et saepe in maniam dementiamque degenerant. Prognosis in raphania multo pejor est, quia exitus ejus in genere lethalis est, et, siquidem aeger non moriatur, vulgo morbosa quaedam affectio relinquitur.

Diagnosis tremorem inter et Choream, ob minorem illius vehementiam actionemque nervorum diminutam, quae illi causa est, vulgo non difficilis est. Datur tamen una tremoris species, sc. tremor mercurialis, qui nonnunquam fere omnia Choreae symptomata simulat ³⁾. At reliqua morbo mercuriali propria signa, causae syndromesque symptomatum ratione rite habita, diagnosin valde illustrabunt.

1) Cf. Nederl. Weekbl. v. Geneesk. IV. P. 311. 322.

2) l. c. 149. 19. Beitr. z. Geschich. der Kriebelkr. kl. med. Schrif. p. 78 f.

3) Cf. Romberg. l. c. 449.

Hic quoque mentio facienda est de paralyysi agitante, cui eadem, quae tremori, subest causa, cujusque symptomata valde congruunt. Motus irregulares in his autem affectionibus, e debilitata vi nervea pendentes, corporis partibus aliqua re nitentibus vel eorum motibus impeditis, vulgo tolluntur, quod in Chorea non occurrit; hoc enim in morbo, convulsiones, quidquid ad eas restringendas conemur, augentur.

Aliis discriminibus inter Choream aliasque convulsiones, ut sunt: muscoli nonnulli tantum affecti, convulsiones non continuo se ostendentes, alia, adnumerari potest signum diagnosticum, quod Escobar ¹⁾ posuit in affectione simultanea extensorum flexorumque, quae in Chorea occurrere solet, dum in aliis convulsionum speciebus flexores in genere laborant.

Valde dubitandum est, num quis hysteriae et epilepsiae convulsiones cum Chorea commutaret. Illis quidem morbis tot sunt symptomata propria, eorumque convulsiones decursum iis Choreae tam dissimilem habent, ut vera morbi indolis certo dignosci possit.

Signa diagnostica inter Choream et affectiones inflammatorias systematis cerebro-spinalis, cum convulsionibus conjunctas, mihi supervacanea videntur. Syndrome enim symptomatum in meningitide cerebro-spinali, in phrenitide aut myelitide tot offert signa diagnostica, ut commutatio mihi quidem non fieri posse videatur. Dolor in partibus affectis, febris continua, vita tam psychica, quam physica, laesa, tot sunt symptomata, quae impedire possunt, quominus falsa fit diagnosi.

1) Cf. Schmidts. Jahrb. 1853. No. 10.

CAPUT V.

CURATIO.

Optandum foret ut verba Stiebelii¹⁾: »Die Curmethode ist sehr einfach und sicher. Blutegel an den siebenten Halswirbel; Calomel innerlich; graue Quecksilbersalbe in 's Rückgrath gerieben, beseitigen diesen Zustand sehr rasch: Fontanellen an beiden Seiten der Wirbelsäule heben die Anschwellungen der Knochen und somit auch die daherrührenden Zuckungen wunderbar schnell.“ etc. regula nobis esse possent in Choreae medendi methodo, attamen experientia docet, curationem non omnibus in casibus tam simplicem facilemque esse.

Diversae morbi causae, diversaque in singulis hominibus morbi indoles, praecipua sunt momenta, quae magnam

1) l. c. p. 54.

in medelam vim habent, quaeque pro singulis casibus normam, quae nobis sequenda sit, demonstrant. Quamquam, ut in aliis morbis, in Choreia quoque nostrum sit tum morbum ipsum, tum ejus causas debellare, non raro tamen occurrit, ut natura ipsa, morbo omnia remedia debellante, auxilium afferat; quod Werlhof ¹⁾ jam monuit: »sunt casus, praesertim quum mens in hoc affectu alienatur, ubi neque cortex, neque olea volatilia, neque emetica ex antimonio, venaesectiones, catharses, epispastica, acidula, anthelminthica, caetera, quibus omnibus sua constat utilitas, morbum tollunt, sed sola exspectatio.»

Morbum, si in eo est, ut erumpat, prohiberi posse, nondum docuit experientia; attamen negari nequit medelam, praesertim in organismo ad Choream disposito, per stadia evolutionis rite institutam, maximi esse momenti ad morbi decursum.

Chorea quum praecipue pueros invadat, organismum tenerum systemaque nervosum irritabile habentes, optimus est expectandus successus, si medela regimenque corroborantia adhibentur. Majori saltem fiducia digna sunt quam praeceptum, quod ad morbum preveniendum recidivum dedit Sydenham: »Et quoniam, qui hoc morbo semel laboravit, facile recidivam pati possit, e re fore existimo, ut et pertundatur ei vena, et ad dies aliquot purgetur, vel ea ipsa tempestate anni sequentis, vel paulo antequam morbus primo invasit» ²⁾. Minime

1) Cf. Engel, Spec. med. acced. syll. epist. P. G. Werlhofii 1781. p. 193.

2) l. c. p. 528.

in Choream per stadia evolutionis erupturam est rejicienda vis, quam habent regimen et psychica sic dicta curatio. Aër, in quo aeger versatur, purus et serenus; loca, in quibus moretur, temperatoria; diaeta nutriens, neque nimis lauta; omnes corporis functiones rectae; mores perversi, si adsint v. c. masturbatio, prohibendi sint oportet. Medici autem multum interesse debet, ut sibi aegri fiduciam acquirat, animumque ejus quietum placidumque servet, eumque impediatur, modica mentis intentione, quominus animum in morbum defigat. Prae aliis autem cavendum est, ne aeger animum nimis studiis intendat, quod ei admodum noceret; corporis contra exercitatio variis modis commendanda est, v. c. frequenti sub Jove commoratione, arte gymnastica, balneis, aliis.

Ultima praecipua sunt remedia, quae optimum dederunt in Choreae medela eventum. Arte gymnastica primus usus est Louvet Lamarre ¹⁾, cujusque applicatio, suadente Sée, latius patere coepit. In 22 casibus, in quibus sola arte gymnastica usus erat, 18 aegros intra 29 dies curaverat; de 5 aegris, una cum tonicis 3; et de 11, una cum balneis sulfureis 8. E tabula, quam Moynier dedit, liquet, apud 49 puellas medium curationis tempus esse 37 dierum; apud 25 pueros 81. In initio aeger brachium sive crus tantum rhytmice movere, deinde motus magis complicatos perficere diversisque rationibus musculos exercere debet.

Inter balnea recensenda sunt: *frigida*, quae Dupuy-

1) Nouv. Bibl. méd. T. IV. p. 403, 1827.

tren ¹⁾ valde commendavit. Aeger sexies vel octies intra horae quadrantem in aquam 10—15° C. mergitur; postea in lectum tepidum se confert, vel per horam currere debet. Porro *russica* ²⁾, *maritima* et *sulphurea*. Ultima, secundum Baudelocquii praeceptum ³⁾, constat ex unciis iv. hepat. sulph. in singulis balneis, quorum tepor 26° R. sit. Medium tempus, quod curatio duraverat, est 22 dierum. Exanthemate quodam prodeunte, balnea seponuntur, donec illud evanuerit ⁴⁾.

Vim hujus medendi methodi magnam esse, ex observationibus, quas hanc ob rem instituit Blache ⁵⁾, concludi licet; ex iis enim patuit: 1°. Artem gymnasticam, una cum balneis sulphureis conjunctam, omnium optimum esse contra Choream remedium, quod in omnibus casibus, dummodo absint vitia cordis, administrari possit. 2°. Sanationem in prioribus jam curationis diebus intrare, unaque cum morbo, totum organismum sanguinisque crasin emendari: 3°. Exercitationem gymnasticam pueris non nocere, omnique quoque anni tempore institui posse; motus autem ut sint tum passivi, tum activi licere.

Remedia, constitutionem sanguinisque crasin emendantia, tonica, hic quoque commemorantur; et quidem tonica vegetabilia et mineralia. Corticem Peruvianum aliis tonicis e regno vegetabili praeferri mereri, non

1) Gazett. des Hôpit. 1833. V. 7.

2) Cf. Babington. l. c. p. 446.

3) Vid. Rufz. Unters. u. d. Veitst. — Annal. ueber Kinderkr. 8. Heft. S. 106.

4) Cf. Bouchut. Gaz. des Hôpit. 1854. N°. 66.

5) Gaz. médic. 1854. N°. 29.

est quod dicam. Solius quidem corticis usu Choream curatam esse, e relatis Hughii concludi licet; apud eum legimus, corticem novem tantum aegris adhibitam fuisse, quorum tres recuperarunt sanitatem. ¹⁾

Utrum tonicorum praevaleat mineralium, non certo effici potest, quia plerisque in casibus diversa ratione praescribuntur, proque varia morbi indole varium habent eventum. Ferrum imprimis convenit chloroticis puellis, in stadio pubertatis, puerisque anaemia laborantibus. Praeparata ejus plerumque adhibita sunt:

Carbonas ferri ad dosin gr. x ter d. d.—dr. ij. ²⁾

Ferrum hydrocyanic. gr. iij—viij pr. d. pro aetatis ratione ³⁾.

Porro commendantur sulph. citras. murias. ferri.

Hughes in 29 casibus ferrum praescripserat, in quibus bonum eventum habuit in 19 s. 69%

levamen attulit in 2

non succurrit in 8 s. 27%

Semel conjunctum erat cum zinco; semel cum electricitate. ⁴⁾

Huic medicamentorum speciei ab Eberlio ⁵⁾ et Hugho ⁶⁾ quoque adnumeratur arsenicum. Quamvis in

1) l. c. p. 387.

2) Cf. Elliotson. Samml. a. A. f. prakt. A. Bd. 35. Leipz. 1828. p. 310.

3) Cf. Romberg. l. c. p. 448.

4) l. c. p. 386.

5) The Americ. med. Record. etc. Phil. V. 1. 1818. 8. p. 379. 382. 383.

6) l. c. p. 385.

aegris debilibus, non justo irritabilioribus, optimum habeatur remedium; verba tamen Babingtonii non sunt rejicienda: »but I am deterred from employing it, where other remedies will succeed, from the sickness and griping pains, which it is apt to cause, and from some fear that the constitution may be permanently injured by its continued employment.” ¹⁾

Hughes in 7 tantum de 100 casibus id administravit et bis cum bono eventu. ²⁾

Praeparatum ejus usitatissimum est solutio Fowleri, cujus dilutae praescribuntur gutt. i—ij p. dosi bis d. d. ³⁾

Aran quoque laudavit acid. arsenicosum, cujus gramm. v. solvuntur in aq. dest. partibus C. ejusque solutionis administrantur cochlearc. i—iv d. d. Tertio jam die, praeter fornicationem in nucha, motus sinistri lateris magis erant regulares. Sanitas intra septem hebdomades restituta erat. ⁴⁾

In stadio pubertatis puellarum, functio systematis genitalis maximam requirat curam in medelae methodo sequenda. Sensibilitas aucta actioque interdum diminuta nervea postulant tum medelam tonicam, tum sedantem anodynamque. Functione systematis vascularis turbata, quod quidem non raro occurrit in amenorrhoea sive dysmenorrhoea laborantibus; in censum venire possunt sanguinis detractiones sive derivantia varii generis. Quoad sanguinis detractiones, licet Sydenham, cui morbi

1) l. c. p. 446.

2) l. c. p. 386.

3) Cf. Romberg. l. c. p. 449.

4) Gaz. des Hôpit. 1856. N^o. 61.

indoles sita erat in humore aliquo, in nervos irruente, quorum irritatione istiusmodi motus praeternaturales producuntur, venaesectionem cum catharticis alternatim adhibitam maxime laudet, et quidem ter, quaterve repetitam ¹⁾; notandum autem est, caute cum iis mercandum esse. In genere quidem rejiciendae sunt, praesertim, quum Chorea vulgo cum anaemia aut debilitate, licet non semper in initio, in decursu tamen morbi, comitata sit. Indicantur tantum in affectionibus nervosis inflammatoriae indolis, in quibus sanguinis depletio urgebit, neque tunc quidem universales, nisi, secundum *Escolarum* ²⁾ in plethora universali, topicis sunt praeferenda.

Meissner ³⁾ et *Todd* ⁴⁾ Choream ex irritatione systematis genitalis, se praesertim in pubertate ostendente, deducentes, maxime laudarunt usum camphorae, remediorum, acid. prussicum continentium, tinct. iodii et iodeti kalici. — Ultima remedia, testibus *Mullero* ⁵⁾ et *Okio* ⁶⁾, valde quoque prosunt, in Chorea, cum scrophulosi complicata.

Siquidem subsit aliqua causa psychica, quae quidem inprimis hocce in stadio Choream excitat in puellis erethicis nervosisque; illa causa quam primum amovenda est. Curatio autem therapeutica nonnunquam constare debet in remediis administrandis nervinis, systema nervosum irritatum alterantibus sive systematis genitalis functionem moderantibus.

1) l. c. p. 527.

2) Cf. l. c.

3) Cf. v. Siebold's Journ. l. c. p. 604.

4) Lectures on Chorea. Lancet. April 1843.

5) Cf. Prag. Viert. Jahrschr. 1853. B. IV. p. 104.

6) Bullet. de Thér. Arch. gén. 1853. Sept.

Ad causas Choreae propiores vel proximas respu-
cientes, invenimus plerisque in casibus affectiones
systematis cerebro-spinalis, quae debellari debeant.
Quae quum autem, in initio saltem, pleraeque
inflammatoriae sunt naturae, medela antiphlogistica et
derivans primum tenet locum. — Pro re nata igitur
administrentur venaesectio, depletio topica, vel epispas-
tica. Quae autem in sanguinis depletiones, ea quoque
in epispasticorum usum valent; magna enim cum sollicu-
tudine applicentur, praesertim quum eorum usu protracto,
quem morbi diurnitas saepe requirit, vires admodum
exhauriuntur. Inter derivantia maxime laudantur cucur-
bitae, infrictiones cum remediis aethereis, vesicantia de
cantharidibus et tartaro emetico, ¹⁾ fonticuli, setacea.

Inter remedia, vim in systema cerebro-spinale speci-
ficam habentia, a Gallicis imprimis laudatur strychninum,
cui actionem stimulantem medullaeque spinalis functiones
motorias regulantem tribuunt. Trousseau ²⁾ id
administravit a gr. $\frac{1}{10}$ — $\frac{1}{8}$ bis d. d. vel syrupi strychn.
quo continetur sulph. strychn. gr. $\frac{1}{20}$ in syr. dr. vj.
cochlearc. ij—iij p. d.

Andral syrupi strychn. cochlearc. j administrat
omni sesquihora, donec symptomata tetanica se ostendunt,
quae, aegro quiete decumbente, mox recedunt. Remedium
eodem modo sequentibus administratur diebus, convulsio-
nesque, in initio quidem vehementiores, sensim sensimque
diminuuntur. ³⁾

1) Cf. Frank. l. c. La Harpe Wien. Med. Wochenschr.
1856. N^o. 27.

2) Gaz. des Hôpit. 1851. N^o. 71.

3) Prag. Viert. Jahrschr. 1855. B. III. p. 125.

Chevandier, qui Choream habet morbum systematis cerebro-spinalis et symptomata e debilitate explicat, eam, intra viginti dies, curavit cum strychn. gr. $\frac{1}{15}$ p. d. conjuncto cum infractionibus de oleo crotonis. ¹⁾

Siquidem attendimus ad temporis intervallum, quod curatio duraverat, apud 32 puellas medium invenimus terminum 33 dierum; apud 11 pueros, 74 dierum. ²⁾

Inter nervina locum quoque tenet zincum, quod maxime prodest in affectionibus mere nervosis, quae originem ducunt e tractu intestinali vel functione cutis laesa, atque in stadio dentitionis pubertatisque, quum totus organismus in majori versatur erethismo.

Hujus praeparatum praecipue laudatum est sulphas zinci. De dosi magnitudine non omnes consentiunt. Babington se nunquam cum successu dedisse dicit, nisi grana xij—xiv ter d. d. adhibita essent; imo dr. β ter d. d. adhibitam sine ulla noxa novit. ³⁾ Hughes incipit a gr. j—ij ter d. d. ad gr. xxxvi ter d. d. Minorum autem dosium se eventum felicem vidisse affirmat, v. c. gr. ij ter d. d. per tres hebdomades, sive gr. iv—vj. Choreae autem speciem leviolem fuisse non negat.

De 63 aegris, zinco usis,

sanitatem recuperaverunt 45. s. 71%

emendati sunt 2

non curati 16. s. 25%

1) L'Union. 1852. N^o. 62.

2) Cf. Moynier. Sur le trait. de la Chor. Arch. gén. Juillet. 1834.

3) l. c. p. 445.

Semel cum ferro erat adhibitum, quinquies cum electricitate, bisque oxydo zinci usi erant ¹⁾).

Quamvis duo illi scriptores magna digni sint fiducia, attamen nostra quidem opinione, perquam temerarii sunt in dosin tam magnam adhibendo, neque ea agendi ratio nobis explicari potest, nisi assumamus sensum ventriculi, quem aegri, ab illis curati habebant, fere totum obtusum fuisse. Recte quoque laudatur valerianas zinci in aegris, qui intemperie nervosae admodum obnoxii sunt; cujusque effectum vidi bonum in casu, quo cucurbitae cruentae in nucha, ter repetitae, nihil dederant levaminis puellae, Chorea semilaterali, una cum congestione cerebri, laboranti ²⁾).

Porro commemorantur varia, pro varia morbi natura, remedia minori majorive cum successu adhibita, v. c. opium, hyoseyamus ³⁾), tinct. cannab. indic, valer: atropini ⁴⁾), stramonium, alia.

Hisce remediis jure adnumerentur duae medendi methodi, quarum vis inprimis quaerenda est in actione, quam habent in systema nervosum, nostrisque temporibus admodum laudatae; sc. inhalationes chloroformyli et electricitas.

Recentiori tempore priores quidem, separatim vel cum infrictionibus magnas in Chorea curanda partes agere coeperunt.

Grossman ⁵⁾ retulit se per inhalationes ter d. d.,

1) l. c. p. 387.

2) Cf. porro Weber. Med. Centr. Zeit. N°. 82. Escolar. l. c.

3) Cf. Lozzetti. Gaz. Lomb. 1856. 31.

4) Cf. Michéa. Gaz. des Hôpit. 1856. N°. 23.

5) Deutsche Klin. 1851. N°. 32.

non ad narcosin protractas, inter 14 dies Choream curavisse.

Viglezzi ¹⁾ casum retulit puerorum trium, in quibus convulsionibus tollebantur per inhalationes chloroformyli, intra 8—12 dies, ad narcosin anaesthesiamque protractas semel bisque de die repetitas.

Lowe et Barclay ²⁾, Banks ³⁾ et Gausier ⁴⁾ infrictiones in medulla spinali et epigastrio inhalationibus addiderunt, sanitatemque intra 7—14 dies viderunt recuperatam.

Electricitas, quam A.^o 1761 jam adhibuit de Haen ⁵⁾ sibi hisce temporibus maximam acquisivit laudem in curandis iis Choreae casibus, qui reliquis remediis resisterant. Maxime prodest in puellis, hystericae passioni obnoxiiis nervosisque, atque in iis Choreae speciminibus, quibus irritatio non subest. In aliis autem casibus non raro occurrit, ut convulsionibus vehementiores frequentioresque reddantur per electricitatem ⁶⁾. Hughes apud 14 aegros eam applicavit, quorum 9 sanitatem recuperarunt ⁷⁾. Optimus corporis locus, quo apponantur electrodes, est regio medullae spinalis, quod quidem concludi licet ex observatione, quam Romberg nobiscum communicavit, in qua retulit de 36 aegris hac ratione 35 esse curatos ⁸⁾.

1) Gaz. Lomb. 1856. N^o. 31.

2) Med. Times and Gaz. May 1853. p. 517.

3) Dubl. Quat. Journ. Aug. 1852.

4) Gaz. des Hôpit. 1854. N^o. 66.

5) Rad. med. in nos. pr. etc. p. I. Vindob. 1757. 8. Cap. VIII. p. 142—147 sqq.

6) Viglezzi l. c.

7) l. c. p. 388.

8) l. c. p. 449.

Vidimus porro Choream excitari posse per affectiones rheumaticas, sordes primarum viarum, vermes, alia. Non est, quod dicam, medelam hisce in casibus morbum tantum primarium debellare debere, ita ut in rheumatismo sive arthritide, pro eorum natura vel acuta, vel chronica, depletiones et vesicantia, sive antirheumatica, ut aconitum, colchicum alia, in censum veniant. In Choreia symptomata, e sordibus primarum viarum vel vermibus originem ducente, ad causam restringendam purgantia, cum emeticis vel anthelminthicis conjuncta optimo cum successu abhibita sunt. Hoc in casu fortiora admodum laudantur, inque helminthiasi optime adduntur ol. terebinth. cum ol. ricini dr. ij—unc β singulis vel alternis diebus.

Conditiones morbosae primarum viarum quum frequentius occurrant, non est mirum methodum magno cum successu adhibitam fuisse, ita ut cathartica a plerisque, in his praesertim ab Hamiltonio ¹⁾, aliis remediis praeferantur. Quod autem attinet ad eorum usum, sine ullo alio remedio conjunctum, refert; notandum est, hoc non omni laude dignum esse. E 14 casibus, in quibus Hughes cathartica vel sola vel cum vino et diaeta lauta, adhibuit, in 6 bonum, in 7 nullum successum, in uno tantum levamen attulerunt ²⁾. Nisi cum tonicis conjungantur, felix vulgo eorum usus eventus non est; ab Anglicis inprimis laudatur infusio rad. rhei in *port wine*, quae inprimis pueris teneris, male nutritis

1) Obs. on the util. and admin. of purg. med. in sev. dis. Edinb. 1826 p. 117—139.

2) l. c. p. 382.

et attenuatis convenit; cujusque praeparandi methodus administrandique ratio ab Hugho describuntur sequentibus verbis: »Upon half a drachm of sliced rhubarb, eight ounces of port wine are infused, it macerates for twelve hours, and of the strained liquid two table spoonfuls, or three, according to the age of the patient, are administrated three times a day ').

Huic curationis disquisitioni, diversis Choream excitantibus causis accommodatae, pauca addemus de paroxysmi cura. Attendendum est, omnia tentamina ad motus restringendos involuntarios in genere aegro magis nocere quam expedire; ita ut tantum cavendum sit, ne aeger vehementia paroxysmi aliquam corporis partem laedat, neque vestimenta arctiora respirationem offendant placidam.

In omni Choreae casu, medici erit, ut inquirat, ne aliqua subsit morbi complicatio, quae debelletur necesse erit, quippe quod non raro occurrit Choreae symptomata, morbo complicante aut comitante rite curato, mox recedere.

Ex iis, quae supra exposuimus, liquet, pro causarum diversitate, medicos omnia fere remedia eaque adeo variae indolis in Choreae expertos fuisse; siquidem autem rogamus, num Choreae detur specificum, id negemus oportet. Diversae enim medendi rationes differunt, prouti causae morbi diversae sint; ita ut, omnibus fere in casibus, felicissimus nobis exspectandus sit eventus, si medelam, causis morbique indoli congruam aegrique constitutioni coaptatam, instituimus.

1) l. c. p. 383.

THESES.

I.

Causa ictus cordis pendet a cordis forma per systolen mutata.

II.

Frerichs, die in de uitscheiding bij onthouding den maatstaf zoekt voor onze behoeften, hij doemt ons onbarmhartig tot den hongerdood.

Donders. *Voedingsbeginselen.*

III.

Non concedo Bouteillio, de Chorea disserenti:
»la faiblesse et le relâchement de ces parties (du corps)
annoncent non leur convulsion, mais leur atonie, et
caractérisent une affection plus paralytique que convulsive.”

IV.

Rachitis et osteomalacia, morbi sunt natura dissimiles.

V.

Recte Stromeijer statuit: »dass die Einflüsse, welche sonst Pneumonie herbeiführen, unter der Einwirkung der, den Typhus begünstigenden Potenzen die Localisation der Typhus in der Lunge befördern.“

VI.

Physical examination cannot determine whether pneumonia, in any of its forms, have, or have not, supervened on tubercles; although the prognosis in the two cases would be very different.

Addison.

VII.

Recte Salzer: »das Nonnengeräusch hat keine bestimmte Beziehung zu irgend einer Krankheitsform.“

VIII.

It must be confessed, that in the understanding of the action of medicines, and of their agency in the cure of diseases, we do not so much excel our ancestors.

Headland.

IX.

Though the actions of many remedies may be partly elucidated by chemical considerations, it is impossible to account for the influence of all alike in this way.

Headland.

X.

In syphilide inveterata iodetum kalicum efficacissimum tutissimumque est remedium.

XI.

La syphilisation, sortant de la théorie pour entrer dans la pratique, pour servir à la prophylaxie et à la thérapeutique, devient un contre-sens et un danger.

Vidal de Cassis.

XII.

Lithotomia in genere lithotripsi est praeferenda.

XIII.

Si dubites, num hernia incarcerata sit nec ne, operationem instituas.

XIV.

Ad morbos systematis genitalis femineae recte dignoscendos, speculum uteri optimum ex omnibus adminiculis diagnosticis habeo.

XV.

Uebertrieben sind offenbar Pi or ry's Angaben, welcher mittelst des Plessimeters die Gravidität in den ersten zwei Monaten, ja in den späteren sogar die Stellung und Haltung des Foetus innerhalb der Uterushöhle diagnosticiren zu können behauptet.

Scanzoni.

XVI.

Optime Lumpe: » Wer bei jeder Querlage gleichsam instinktmässig mit der Hand in den Uterus geht, die Füße fasst und herabzieht, verdient ebensowenig den Namen eines rationellen Geburtshelfers, als derjenige den Namen eines rationellen Arztes, der für jede Krankheitsform ein Mittel hat, das er unter allen Umständen anwendet.»

XVII.

Sectio caesarea si requiritur, in linea alba optima mihi videtur operandi methodus.

XVIII.

Optandum est fore, ut nova lege, quae rem medicam in patria nostra moderare debet, medici forenses instituantur.

